



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

3. De bona fide.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

sententia definitiva opus sit : quia huiusmodi præscriptio in favorem præscribentis introdu-  
ta sit, l. Si post acceptum D. De rei vindicat. l. 2.  
§. 1. D. De usucap. pro emptore: latius Gaill. d. loco  
n. 31.

Illud quoq; hic specialiter statutum est, ut an-  
terioris iusti possessionis possessio cum sequentis  
possessoris possessione continuetur, & in trien-  
nium decennium, vicennium, tricennium con-  
numeretur, l. nona circa finem Cod. De usucap.  
transformanda.

## §. III.

## De bona fide.

1. Bona fides quid sit ?
  2. Iuris error ad bonam fidem non sufficit.
  3. Nisi sit ius dubium.
  4. De dubitante, an & quatenus sit bona fides.
  5. De possessore iustum & coloratum titulum ha-  
bente.
- Secundò requiritur bona fides, Mala fidei.  
Possessor de R. l. in 6. c. fin. h. t. id est credulitas  
qua quis prudenter credit & sibi persuadet rem  
esse suam aut saltem ignorat esse alienam : ut si  
putet eum, à quo accepit, fuisse dominum cum  
non esset, aut saltem ius transferendi habuisse l.  
Bona fidei D. de verb. significat. nam malæ fidei  
possessor non præscribit, d. c. Mala fidei & d. c. fin.  
l. Si aliena D. eod.

1. Dixi, prudenter ; quia si ex ignorantia  
crassa vel inordinata cupiditate procedat per-  
suasio illa, non erit bona fides. Et hinc iuris  
clari error, veluti si quis rem contractu usu-  
tatio, quem putabat esse iustum, sibi compa-  
raverit, aut vellet vel equum à Religioso ac-  
ceperit, nesciens Religiosum donare non posse  
tamquam improbabilis, possessoribus ad bo-  
nam fidem non sufficit, l. Iuris & l. Error D. De  
iuru & facti ignorantia, d. l. Nunquam in prin. li-  
cet talis ignorantia seu error inculpatus sufficiat  
ad præscribendos fructus, ex ipsa percipere,  
Covar. 3. Var. resol. c. 3. n. 8. Navar. lib. 1. Consil.  
61. De officio Iudicis, l. Sed etsi §. scire D. De petit.  
hæredit. quia error circa fructus videtur esse  
error facti: existimat enim possessor, sed illos  
percipere ex re sua. Iam autem ignorantia facti  
ad præscriptionem prodest, d. l. Iuris & d. l. Er-  
ror.

3. Dixi, iuris clari ignorantiam non produ-  
se ; quia aliud dicendum de ignorantia iuris  
valde dubii, vel etiam verè dubii, Navar. d. loco  
quia quando ius est verè dubium, id de quo  
utrimque multorum sunt sententiæ, licet in  
praxi utramlibet sequi sententiam, pertinet ac  
si clarum ius esset, Lessius 2. De lastit. cap. 6. De-  
sputat. 5. n. 16.

4. Quòd si verò dubitet quis, an res sit sua, non  
erit bonæ fidei. ad inchoandam possessionem,  
quam diu manet dubitatio, Covar. ad Reg. Pos-  
sessor. 2. p. §. 7. n. 3. & seq. quia ut quis rem, quam  
antea non habebat, sibi vindicare & usurpare  
incipiat, requiritur, ut determinatè iudicet  
eam vel nullius esse, & ita fieri suam per occu-  
pationem, vel certè esse suam, licet id antea non  
adverterit. Censetur tamen talis habere bo-  
nam fidem, sufficientem ad continuandam pos-  
sessionem, bona fide occupatam. Probatur ex can.  
Si virgo xxxiv. q. 1. ubi dicitur, in iure prædiorum  
sam diu quemque possessorem bona fidei dici,  
quam diu se possidere ignorat alienum : & ex d. l. fin.  
h. t. ubi dicitur, oportere, ut qui præscribit, in nulla  
temporis parte rei habeat conscientiam aliena. Et  
enim dubius non est sibi conscius rei alienæ &  
ignorat se possidere alienum ; atque in dubio  
melior est conditio possidentis, quam non possi-  
dentis. Videatur Covar. d. loc. §. 7. Lessius d. cap.  
6. Dubitat. 3. & 4. ubi tradit, quod dubitans,  
num res sit sua & simul dubitans, an  
liceat eam sibi retinere, & tamen retinens rem,  
mala fide continuet possessionem, nec ei currit  
præscriptio, l. Si fur. D. De usucap.

5. In possessore autem, titulum iustum &  
coloratum habente, videtur in dubio rectius  
præsumi bona fides, arg. l. Verius D. De probat.  
nisi forte à rei domino, ne emeret, admonitus,  
emerit nihilominus, l. Si fundum Cod. de rei vin-  
dicat. vel alias contra legum interdicta merca-  
tus fuerit.

## §. IV.

Quo tempore bona fides requira-  
tur.

1. Mala fides superveniens iure civili non inter-  
rumpit usucapionem.
2. Hæres proinde mala fidei succedens defuncto re-  
hæd præscribit eo iure.

80

3. Simd